



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Origo nominis Iesuitarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

minum multitudinem, conscenso scabello aut editorio loco, conciones habebant, id unice in oratione sua spectantes ut populum à vitiis absterrent, & ad virtutes incitarent, magna cum omnium qui zelum & charitatem eorum facile perspiciebant, admiratione. Tum quidem Christianæ pietatis ardor penè refrigerat; quem tamen Ignatius incredibili sermonis ardore rursus accendit, adeo ut impietatis glacies paulatim liquefcere, & frigidissima multorum animæ divino & cœlesti igne mirum in modum incalefcere inciperent: quod omen è nomine ejus quidam singulari dexteritate exculpserat, invento hoc Anagrammatè:

IGNATIUS DE LOIOLA,
O IGNIS A DEO ILLATUS.

Novæ hujus Societatis fama pervulgata, Lusitanæ Rex, qui tum maximè Christianæ doctrinæ fermentem in India facere satagebat, à Goveano viro doctissimo, bonarum litterarum olim Lutetiæ Professore, qui istic agentis Ignatii ac Sociorum virtutem penetrarat, monitus, ex ea idoneos sibi aliquot ad eam provinciam homines mitti petiit, dato ut id à Pontifice impetraret, Petro Maskarenæ Oratori suo, negotio: quod quidem diligenter ille tractavit, plures tamen duobus impetrare non potuit, nimirum Franciscum Xaverium Hispanum, & Simonem Rodericum Lusitanum. Ex his alter, Rodericus scilicet, à Rege in Lusitania reventus fuit, ut ejus opera in instituenda Conimbricensi Academia uteretur: quæ quidem fertilissimum postea fuit seminarium multorum felicissimorum ingeniorum, quibus non vetus tantum, sed Nova quoque Hispania, adeoque utraque India mirificis fructibus repleta atque illustrata; immo ad Persas, Æthiopes, Japonios & Sinenses usque Evangelii lux perlata est. Xaverius summa cum voluntate ad tam amplam messem profectus, infinitas sub altero illo cælo Orientis solis animas Christo lucrificavit: de quo alibi dicendi erit locus. Nos jam novo & Christiano huic Argonautæ, vellus aureum in novam Colchidem, draconibus, tauris ignivomis, & Medæis veneficis refertam, apportanti, ac Crucis trophæum ultra quasi Mundi limites cum immortalis nominis sui gloria, statuenti, bene precati, ad propositum redeamus.

V. Mirum est quam magna paucis annis societas hæc sumferit incrementa. Pontifex enim uberrimis qui ex hac Societate in Christianam Rempublicam magis magisque in dies redundabant, fructibus permotus, priori statuto abrogato, omnibus qui vel-

lent huic Societati nomen dandi potestatem fecit, sic, ut brevi magnus eorum fuerit numerus qui ad Jesu militiam sunt adscripti. Hoc enim nomine tamquam pro vexillo seu insigni Societas hæc utitur, cujus auctor non de suo Ignatianos, sed Societatem Jesu appellari voluit, ut non in hominis alicujus ordine adscriptos, sed ad Societatem Jesu vocatos se agnoscerent, sub illo summo imperatore mererent, & ejus signa sequerentur. Hoc ei nomen tam ab ipsis Pontificibus quam generali Ecclesiæ Concilio fuit confirmatum. Nec vero ab hoc nomine propterea ceteri homines exclusi censendi sunt ut quidam Calumniantur imperitè, quemadmodum nec ceteri Principes minus pro Christianis habentur atque agnoscuntur, eo quod Francorum Rex Christianissimus appellatur. Eodè jure Ecclesiastici dicuntur ii qui divini cultus servitiis sunt cōsecrati; quamvis ab Ecclesiæ societate idcirco nemo omnium excludatur. Qui Jesu Christi doctrinā susceperunt, initio Christiani vocati sūt, à CHRISTO seu unctione Domini, quod nomen apud Judæos pluris æstimabatur quàm nomen Jesus, multis inter ipsos cōmune: sicut Judæos magis inde offensos videmus quod Salvator noster CHRISTUS, quam quod Jesus fuerit appellatus. Et Apostoli quidem eorumque successores Christianorum nomen, vere Dei filii debitum, sumplerunt; Ignatius vero Jesu nomen Societatis suæ attribuit, ut non ipse, sed Deus auctor ejus esse intelligeretur: quod nomen tam Catholicis est venerabile, quam vile schismaticis, quibus Christus, non Jesus in ore est. Et hæc est Jesuitarum, ut vulgus eos appellat, nominis origo; quod nomen in hac rerum omnium cōfusione & summa hujus sæculi impietati multis odiosū est, uti & olim paganis Christianorum. Sed cur, quæso, nomen crimini datur? Quæ nova hæc est nomina accusandi formula? Jesuita quidem nihil aliud sonat, quàm Jesu Christi servum, non ut Chemnitius & Schlüsselburgius è vernaculo Jesu videri ineptè arguantur, adversarium. Nec hoc nomine indigni videri debent ii, quorum opera tot animæ ab interitu vindicatæ, & supremo illi animarum Pastori Jesu Christo, quasi novum Ovile in novo illo Mundo est constitutum.

Societas hæc ita amplificata, huc atque illuc sese diffudit. Ignatius Romæ, quæ est commune velut terrarum Orbis domicilium vel curia remansit, retentis secum Codurio & Salmerone, ut inde Societatis negociis prospiceret, & novorum militū supplementum submitteret. Primum ejus opus fuit Lutherani conversio, qui clanculum venenum suum spargere

spargere incipiebat. Hunc ab omnibus Theologis frustra tentatum, Ignatius accepta licentia, brevi ad Ecclesiae gremium reduxit, publice abjurato errore. Rogatus quam rem potissimum Ignatius ei tam cito persuasisset, quod alii persuadere non poterant, respondit, *Fieri non posse ut ibi vera fides ac vera religio non sit, ubi tanta concordia, tanta charitas, in voluntate tanta bonitas, in actionibus tanta integritas reperiantur.* Idem alterius cujusdam, Augustiniani monachi habitu concionantis, & Lutheranismi virus recte disseminantis, conatus repressit. Sed è Judæis multos, in Fidei principiis diligenter instructos, ad Christianismum convertit, & ut vetus lex, qua iis qui Christianam Fidei nomen dederint, bona omnia adimuntur, eum in finem olim lata ne utilitatis aliqua specie conversionem simularent, antiquaretur à Pontifice facile impetravit. Nihilominus Ignatius in vitis insectandis libertas multorum ei odia atque etiam insidias conflagavit; quas tamen omnes Dei omnia hominum consilia & actiones dirigentis benignitate evasit. Nec minori curæ Deo fuerunt Ignatii socii huc illud dispersi: adeo ut tamquam veri & generosi Hirpini super incensis passim sibi que subjectis invidia ac calumniæ rogis ambularent, ac sine noxa evaderent.

VI. Porro Ignatio major cura & ab hoste magis metuendo objecta fuit. Non ignarus enim quã dulcis esset & cæca ambitio, tum etiam quanto plures ex arbore rami decerpuntur, tanto magis eam sterilefcere, atque hoc modo plures Religiosorum familias ad interitum pæne redactas, præstantissimis inde viris ad alia munera translatis: cujus rei illustre exemplum præbet S. Benedicti Ordo, è quo uno xxiv. ad Pontificatum, cc. ad Cardinalatû, dc. ad Archiepiscopatum, m. m. m. ad Episcopatum acciti sunt: statuit, ut ne quis huic Ordinem ingressus ad Officium aut dignitatem quamecunque aspiraret, sed ut Ecclesie quacunque, in re iustus esset, in gradu simplici deserviret: quæ lex etiã non tam Principum quam Sociorum voluntate diligenter fuit observata, adeo ut quum Claudius Jaius ad constituendum Viennæ gymnasiû ab Imperatore evocatus, ab eodem ad Tergestinum Episcopatû designatus esset, multos dies in continuo pæne luctu jacuerit, quod eum effugere se posse diffideret. Instabat quidem assidue apud Pontificem Imperator, cuius precibus victus Pontifex tandem annuit, & Jaium Episcopatum accipere iussit, sed eo audito, Ignatius ad Pontificis pedis advolutus, per omnia sacra obrestatus est, ne in ipsis velut incunabulis Societatem fato, ut videtur, ad hæreses reprimendas destinatam, hono-

rum illecebra extingui, aut certe enervari pateretur. *Si enim mitris Episcopalibus & Cardinalitibus galeries semel sociorum capita onerari magis quam ornari ceperint, statim fore ut non solum aliorum incurrant invidiam, verum etiam levitatis & ambitionis notentur, qui sæculi gloriam per fugam felicius quassissent.* Quæ vero fronte, agebat, alios exhortabantur, ut *Mundi gloriam, omnesque ejus vanitates, ac seipso contemnunt? quando ipsi promptis amplexibus hæc ipsa amice attingant? Brevi etiam Societati viros quos habuerit præstantissimos, subtractum, atque eam viduam relictû iri.* Tandem Margaritæ Ferdinandi filia, singulari favore societatem prosequētis intercessione Jaius hac sollicitudine fuit liberatus. Similiter quum postea Pius IV. Franciscum Borgiam, & Sixtus V. Tolerum in Cardinalium numerum aggregare vellet, ad Generalis præfecti instantiam à proposito destiterunt. Ac quavis postea idem Tolerus à Clemente VIII. Pontifice in Cardinalium collegium sit cooptatus; Claudius tamen Aquaviva, Ducis Atrienfis Neapolitani filius Societati universæ eo tempore præpositus, multum reclamavit, rogans atque obsecrans ne Societatis regulæ infringereetur. Poterat quidè Pontifex absoluta in eo sua potestate uti, illo tamen excusare hoc factum suum maluit, quod Tolerus xxv. annis Pii v. Gregorii XIII. Sixti v. Gregorii XIV. & Innocentii VIII. fuisset domesticus, & Concionatoris & Theologi munere perfunctus, ac tunc etiam extra Societatem vixisset. Tolerus mortuo, Sua Sanctitas Bellarminum surrogavit, magnam illum, inquam, Bellarminum, cujus laudibus mea oratio longè impar est, nisi fortè hoc ipsum novum laudandi genus est, eo aliquè laudare nolle quod omni laude superior videtur. Perpetua nihilominus hæc lex Societati tot tamque illustria pietatis & eruditionis decora conservavit, Borgiam, Mardonatum, Turrianum, Riberam, Canisium, & infinitos alios, qui sanctam illam suam quietem cum omnibus Mundi honoribus & divitiis non permutent. Nempe qui Deo dicati sunt, extra se nihil querunt.

Sed ut ad Ignatium redeamus, is post difficilem admodum parvæ quidem adhuc naviculæ suæ toto tamen orbe protensæ, gubernationem, in qua non minus prudentem quam fortem nauclerum sese ostendit, tandem è procelloso hoc mari in cælestem portum fuit in vectus, laborum ibi suorum mercedè recepturus: felix quum aliis tum hoc potissimum, quod postquam à Deo vocatus fuit numquam non de successu suo cogitabat, ac omnes peregrinationis suæ dies rimabatur. Sic ergo accepta à Pontifice ex-